Quelle: https://manuscripta.at/?ID=924
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



dictam tumbam adiret semper consolata inde recessit **Katherina**
Uxor Conradi Hörndler de Weiding pat. dioc. Interrogata respondit
qualiter de Anno domini etc. quinquagesimooctavo ipsa in infirmitate incidens
quatuordecim ebdomadis continuis in lecto egritudinis decubuit Unde tam
debilitata quod omnibus sacramentis ecclesiasticis procurata, ceca et surda mori pu-
tabatur Quadam vero nocte dum in maximis doloribus paululum obdor-
misset Apparuit ei quidam vir in veste subnigra dicens ei quod tumbam
beati Leopoldi visitaret et sanaretur Cumque testis ipsa in eadem visione
tumbam predictam ut sibi videbatur visitasset, reperit dictum virum
in ambitu ecclesie prefati monasterii prope capellam in qua memorata tumba
situata existit dicentem sibi ut ipsum accederet Appropinquante igitur ipsa teste
ad virum eundem in visione huiusmodi, apparuit facies eius quasi facies viri
dudum premortui Anteriori parte narium carente dicens sibi Si me
in tua infirmitate pro auxilio tibi prestando invocare, aliisque infirmis
et debilibus ut mea accedant tumbam persuadere volueris ac de vino meo
gustabis, et tu et alii sanitatem ibidem consequemini Adiciens quod adhuc
veniet tempus, quod talis et tanta erit ad me et meam tumbam populorum
confluxus quod certi homines ex nimio tumultu ibidem opprimentur et ita dis-
paruit Cumque testis ipsa evigilasset visione eandem apud seipsam
revolvens se statim ad tumbam predictam magno cum clamore devovit
Emisso igitur voto huiusmodi statim melius habere cepit et post paucos dies
omnino sanata fuit, multis egrotis et infirmis huiusmodi suam visionem
referendo Postea vero de Anno domini etc. Sexagesimooctavo circa
festum sancte Margarethe testem ipsa febris terciana acriter
invasit, que dum votiva ad tumbam predictam beneficii prioris com-
monita cum oblacione cerea visitasset statim sana abiit et febres
amplius non sensit **Anna** relicta quondam petri Trotl Civis
in Newmburga predicta Interrogata dixit qualiter ipsa de Anno domini
etc. Sexagesimoquinto quendam suum puerum febres cottidianas aliquandiu
patientem ad tumbam beati Leopoldi cum candela cerea ad eiusdem pueri
longitudinem votivam detulerit, statim ibidem dictus puer a febribus
liberatus fuit eas amplius minime senciendo **Clara** Uxor Johannis
Syn de Newmburga claustrali Interrogata respondit, qualiter ipsa de